



COLLOQVIVM QVINTVM DECIMVM

*Persōnae: Mārcus, Iūlia, Aemilia, Iūlius, servi*

Post merīdiem Mārcus in hortō ambulāns Iūliam inter rosās sedentem videt. Puella quiēta est neque canit.

Frāter apud sorōrem cōnsidit eamque interrogat: “Cūr tam quiēta es, Iūlia, neque canis?”

5 Iūlia: “Nōn canō, quia trīstis sum.”

Mārcus: “Quid trīstis es? Nōnne rosae tē dēlectant?”

Mārcus Iūliae rosās pulchrās mōnstrat, neque ea rosās aspicit. In oculīs puellae lacrimae sunt. Mārcus eam lacrimāre videt.

Mārcus: “Quid est, Iūlia? Quid plōrās?”

10 Iūlia: “Nōn plōrō. Lacrimō quod pullī sunt mortuī. Ecce pullī.”

Iūlia nīdum ē rosīs sūmit et frātrī ostendit. In nīdō sunt quattuor pullī mortuī.

Mārcus tacitus pullōs aspicit, tum rīdēre incipit: “Hahaha!”

Iūlia: “Quid rīdēs, Mārce?”

15 Mārcus: “Rīdeō, quod pullī foedī sunt!”

Iūlia: “Fōrmōsī sunt pullī mortuī. Cūr tū eōs foedōs esse putās?”

Mārcus: “Aspice, Iūlia: corpora eōrum sunt nūda et sordida, colla nimis longa, ālae nimis brevēs. Nihil foedius est quam pullus mortuus!”

20 Haec verba audiēns Iūlia plōrāre incipit atque mātrem vocat:  
“Uhuhū! Mamma!”

Mārcus rīdēns ā sorōre plōrante discēdit.

- Aemilia accurrit et Iūliam oculōs tergēre ac laetam esse iubet:  
 “Tergē oculōs, Iūlia! Es laeta! Quid manū tenēs?”
- 25      “Nidum cum pullīs teneō” inquit Iūlia, et mātrī nīdum et pullōs ostendit.
- Aemilia nīdum aspiciēns “At mortuī sunt pullī!” inquit, “Cūr eōs pullōs foedōs nōn relinquis et mēcum venīs in villam?”
- Haec verba audiēns Iūlia rūrsus plōrāre incipit.
- 30      Aemilia: “Dēsine plōrāre, Iūlia! Venī in cubiculum! Fessa es.”
- Iūlia exclāmat: “Nōn sum fessa! Nōn sum fessa!” sed māter manum eius capit et eam sēcum in villam dūcit.
- Nīdus ad terram cadit. Quattuor pullī mortuī in herbā iacent.
- Iam Iūlia quiēta in lectulō suō dormit. Servī autem quiētī nōn sunt, sed canunt et rīdent, quia dominum nōn vident; servī enim dominum sevērum ā villā abesse putant.
- 35      Sed Iūlius, quī in peristylō est, servōs canere et rīdēre audit eōs que quiētōs esse iubet: “Este quiētī, servī! Cūr canitis et rīdētis, dum Iūlia dormit?”
- 40      Respondent servī: “Canimus et rīdēmus quia laetī sumus. Nōnne tū canis et rīdēs cum laetus es?”
- Dominus īrātus magnā vōce clāmat: “Tacēte!!! Ego dominus sum, vōs servī estis! Iūlia dormit.”
- Puella dormiēns clāmōre patris excitātur. Iūlia ē lectō surgit atque ē cubiculō exit.
- 45      Iūlius filiam suam venīre videt eamque interrogat: “Quid nōn dormīs, Iūlia?”
- Iūlia: “Nōn dormiō, quod tē clāmāre audiō; itaque nōn possum dormīre. Cūr clāmās, pater?”
- Iūlius: “Ego servōs clāmantēs tacēre iubeō.
- Nōnne servōs improbōs clāmāre audīs?”
- 